

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 4906

**Auteur(s) :** Jean Aubry, de Léry [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Pont-de-l'Arche, Notre-Dame de Bonport (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1260, mars

**Lieu d'émission :** Léry

**Action juridique :** vente

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Jean Aubry vend aux religieux de Bonport 5 sous de rente sur ses biens près de Léry.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissé, 1862, n° CCXL, p. 244-245.

Texte établi d'après a

Sciant omnes, tam presentes quam futuri, quod ego Johannes Auberi, de Lereio, vendidi et concessi et omnino reliqui abbati et conventui Beate Marie Boni Portus quinque solidos annui redditus, ad festum Sancti Michaelis, singulis annis persolvendos, ad faciendam supradicto conventui pictanciam cum aliis annui redditus denariis, in die obitus magistri Hylarii, tunc temporis rectoris ecclesie Beati Audoeni de Lereio, qui pro salute anime sue ad comparandum predictis religiosis redditum pecuniam numeratam dedit : percipiendos super totum masagium meum, situm apud Leri, inter masagium Rogeri Le Hydeus, ex una parte, et vicum de Torch..... ex altera, abotant ad vineam Roce et ad vicum qui ducit ad chinum : tenendos et habendos dictis religiosis bene, pacifice et quiete, absque reclamacione vel contradicione de cetero mei vel heredum meorum. Et licebit dictis religiosis de predicto redditu suam omnino facere voluntatem, et plenariam exercere justiciam super totam hereditatem meam, ubicumque sit, nisi predictus redditus ad prefatum terminum fuerit eisdem integre persolutus. Et tenemur, tam ego predictus Johannes quam heredes mei, predictum redditum dictis religiosis contra omnes garantizare, vel ad valorem excambiare. Insuper renunciavi, tam ego predictus Johannes quam heredes mei, super hoc omni juri, tam canonico quam civili, omni appellationi, fori, doli et omnibus exceptionibus que possunt vel possent de cetero obici contra presens instrumentum. Pro hac autem venditione et concessione dederunt mihi religiosi pre manibus quadraginta solidos turonensium, de quibus me teneo pro pagato. Quod ut firmum et stabile permaneat, presentem cartam sigilli mei munimine roboravi.

Actum in plena parrochia apud Leri, anno Domini M° CC° L° nono, mense martio.

Testibus hiis : Gaufrido Auberi ; Galtero Legreu ; Thoma Legreu, clerico ; Radulpho Textore ; Gilleberto Legreu ; Stephano, et pluribus aliis.